

2491

C O D I C E S

2492

*Vereor patres vereor, ne plures falsa se tueantur necessitate &c. Examinat deinceps V. Absentiae cauffas five praetextus, et IV. Utilitates ejusmodi Conventuum annuorum exponit. Videas per omnia Virum Dei spiritu plenum, religiosae Disciplinae studiosissimum, et qui veritatem acriter inculcet. Dolendum itaque, Orationem hanc Job. Busaei, qui *Pia Nostri Opera Moguntiae* 1604. f. in lucem dedit, oculos effugisse; ab Oratione enim a. 1497. habita ad habitam a. 1500. transit. Nostri, ut ad calcem notatur, dicta est in Coenobio *Reinbardsborn* in *Turingia*, quod nunc *Saxogothanae* ditionis est.*

DCLIV.

728 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Foliorum 82. 4. luculente scriptus, et minio distinctus complectitur *Statuta Ordinis Cisterciensis* et quidem edita in Conventibus generalibus ab Anno 1258. usque ad Annum 1350. Praemittitur *Tabula diffinitionum Annalium*. Statutorum vero hoc est initium: *Anno domini M^o. CC^o. LVIII^o. Statuta sunt haec apud Cystercium in Capitulo generali. In primis. Cum excessus vocum et cantuum multipliciter debonestet ordinis honestatem. Idcirco cum ab antiquo per sanctos patres fuerit institutum. ut mediocritas seruetur in cantu &c. Statutum ultimum Anni MCCCL. ita inchoat: Inprimis deuocionem cunctorum fidelium utriusque sexus Cysterciensis ordinis professorum qui*

*celestis beatitudinis desiderant fieri participes post transitum lugubre (lugubris?) huius uite uolentes fouere &c. Haec Statuta non habentur serie chronologica, ut hic, in *Juliani Paris Nomastico* (quod apud *Lengletum* in *Monastico*, apud *Jöcherum* in *Onomastico* corrumptur) *Cisterc. Paris.* 1664. f. An inter *Constitutiones* ejusd. Ordinis *Divione* per *Petr. Metlinger* 1490. 4. impressas reperiantur, dicere non habeo, cum solum *Priuelegia* Ord. ab eod. *ibid.* 1491. 4. prelo subjecta ad manum sint.*

DCLV.

Codex membraneus lat. Sec. 153 XIV. et XV. Folior. 245. f. per duas columnas nitide scriptus et miniatuſ continet. I. *Humberti, f. Humberti, Umberti, Imberti de Romanis*, galli a. 1254. *Budae* in *Hungaria* ad generale Ord. Praed. Magisterium eueſti et ✠ 1277. *Librum de Instructione Officialium FF. Ordinis Praedicatorum*. Constat Capitibus XLVII. elenchum praecedente hac nota: *Ista que subscripta sunt de officijs ordinis. non sunt scripta ad hoc quod inferant aliquam necessitatem. sed ad hoc tantum ut fratres quibus imponuntur aliqua officia et nondum sunt in illis bene instructi. possint hic respicere si velint. et si aliquid ibi inueniunt quod eis rationabile videatur. possint acceptare si volunt. Alioquin in nullo tenentur ex ui huius scripture propter quod dicitur instructorium. Sat certe benigne. Post Capp. elenchum Incipit prologus venerabilis patris.*

2493

A S C E T I C I.

2494

patris. fratris humberi gallici in librum officiorum. Religiones approbate sicut in constitutionibus fere omnium religionum &c. Prologum Opus hoc titulo excipit: Incipit liber Officiorum suae de instructione officiatorum Ordinis fratrum predicatorum compilatus et ordinatus Per venerabilem patrem Fratrem humberium Gallicum qui fuit. Quintus Magister dicti Ordinis predicatorum &c. De Officio magistri ordinis Primum Capitulum. Ita habentur etiam Capitula de officio sartoris, sutoris, ortolani &c. In C. XIII. de Officio Librarij inter alia legitur: Ipsius interest habere in libraria incaustum. pennas. pumices. cretam. plumbos regales (regulares) cultelinos. ad cindendum pennas sepum (sebum vel sebum) uel candelas ad uigilandum de nocte &c. Fit etiam de pergamento et carta. mentio, et totum Caput, maxime a Bibliothecariis, legi dignum est, cui tamen non immoror, cum Opus hoc a prima editione Mediol. 1505. semper cum Constitutionibus Ordinis, teste Quetifo. T. I. Scriptt. Ord. Praed. p. 146. prodierit.

II. fol. 146. p. 2. *Incipit Regula beati Augustini episcopi I. Ante omnia fratres karissimi diligatur deus &c. quae legitur in edit. Opp. Mauriana T. I. Paris. 1689. col. 789. diciturque in Admonit. praeuia primitus ad Sanctimonialia scripta, virisque deinceps aptata. Praemissa est illi per errorem Librarii Epistola praedicti Humberti ad sorores cure fratrum ordinis predicatorum commissus, quae tardius, ut videbimus, sequi debebat. Ni-*

tor scripturae codicis ab hinc decrescere incipit.

III. fol. 148. *Incipit prologus constitutionum ordinis fratrum predicatorum. Quoniam ex precepto regule iubemur habere cor unum &c. Sequitur index in duas Distinctiones tributus, quarum prima Capp. XX. altera XV. censet, licet re ipsa sint XVIII. ut ex decursu patet. C. I. inscriptum est: De officio ecclesiae, et orditur: Audito signo primo surgant fratres &c. Sic et cetera prout in edit. Mediolan. per J. Angelum Scinzeler 1505. 4. excepta constitutione Alexandri VI. quae ibi C. XIX. efficit.*

IV. fol. 163. *Sequuntur eadem Constitutiones alteri Sexui applicatae. Prologus constitutionum Sororum sub cura fratrum predicatorum. Atque huc pertinebat potius Epistola illa Humberti supra citata. Prologus incipit: Quoniam ex precepto regule iubentur sorores &c. Omnia, uti supra apud Fratres, parce detorta. Prologum excipit Capp. XXXI. elenchus, tum Constitutiones ipsae, ut in edit. supra cit. excepto, quod Admonitiones et Temperamenta nobis ad calcem adjecta, ibi jam ipsis Constitutionibus inserta sint.*

V. fol. 171. *Incipit Regula beati Augustini quam scribit mulieribus. Initium: Hec sunt quae ut obseruetis precipimus in monasterio constitute &c. Habetur in Epistola CCXI. ad Sanctimonialia, edit. Maur. T. II. col. 783. et congruit cum illa suprac. fol. 146. ut ibi dictum est.*

M m m m 3

VI.

VI. fol. 173. p. 2. *Incipit constitutio fratrum et sororum ordinis de penitentia beati dominici.* Inchoat a Bulla confirmationis *Imocentii VII. Sedis apostolice prouidentia circumspēta &c.* cui tota tertii hujus Ordinis Regula Capp. XXII. constans inserta est hoc titulo: *Incipit regula fratrum et sororum ordinis. De penitencia beati dominici fundatoris et patris fratrum predicatorum. De recipiendis et eorum conditione primum capitulum. Impri- mis ut hic continuum et perpetuum de bono in melius &c.* Legitur in edit. cit. *Mediolanensi fol. aa 3. p. 2.* ubi brevis hujus Instituti Historia praemittitur. Ceterum monendus est lector, Codicem hunc Constitutionum Ordinis sui a *Quetifo* vel *Echardo* in *Append. T. II. p. 817.* pro duplici *Humberti in Regulam S. Augustini Commentario* habitum fuisse, prout a *Gentiloto* intellexerat.

VII. fol. 177. Sequuntur *Vitae FF. Ord. Praed.* autore *F. Gerardo de Fracheto* ejusd. Ord. Aquitano ad *Lemovicas* orto ✠ 1271. Initium est: *Incipit prologus in Vitas fratrum. Dilectis in dilecto dei filio. fratribus predicatoribus Vniuersis. Frater Humber- tus seruus eorum inutilis salutem.* Ex hoc Magistri Generalis prae- loquio eruitur: agitatae fuisse in Capitulo generali *Parisi*no 1256. ut per uniuersum Ordinem res memoria dignae adnotarentur. *Nos huius modi scripta tradidimus caris- simo fratri Geraldo Lemouicensi tunc Priori prouinciali Prouincie de cuius industria in huiusmodi multam*

gerebamus fiduciam: rogantes et imponentes eidem. quod perlectis et examinatis singulis. de hijs que lau- dabiliora reperiret. libellum aliquem ederet: Quod et fecit &c. opus porro in V. Partes diuisum est. *Prima continet de pertinentibus ad inchoationem ordinis. Secunda multa de beato Dominico que non habentur in legenda eius. Tertia continet multa de magistro Jordano. Quarta de progressu ordinis. Quinta de egressu fratrum de mundo.* Pars quaelibet in titulos abit. Editum est Opus, quod hic caractere minuscule eleganti scriptum est, *Duaci* 1619. 4. et *Valentiae A- rag.* 1657. teste *Quetifo*, quem vide *T. I. p. 259.*

VIII. fol. 234. p. 2. Adhaeret eadem manu *Cronica Ordinis* succincta ab *an. domini M^o. CC^o. III^o.* hoc ingressu: *Beatus Dominicus cum Oxomensis Episcopo Didaco Tholosam venit &c.* Si elenchum *Quintae Partis* praecedentis Operis respicias, videasque *Cronicam Ordinis nonum* ejus *Partis Titulum* constituere, facile illam eidem Scriptori *Gerardo de Fracheto* tribuas, sed contradicit *Quetifus loco cit.* eo maxime nixus argumento, quod *Gerardus* plura in laudem *Humberti* congesturus fuisset, quam in *Cronica* leguntur. Itaque illam ipsi *Humberto* tribuit, aitque apud domesticos vulgo *Humberti Chronicon* vocari. Quid vero si vidisset exemplar nostrum? Cum enim Exemplaria illi visa in anno *MCCLIV.* et electione *Humberti* in Magistrum Generalem definant, nostrum eadem manu exaratum

ratum usque ad annum MCCCC-LXXV. et *Leonardum de Mansuetis* Magistrum gen. XXXII. pro-
tenditur, cumque ibi, ubi illius Exemplaria cessant, statim *Humberti* laudes his verbis incipiant: *Hic vir dei cunctis aspicientibus fuit generosus et Romane Curie adeo acceptus et carus ut eum plures Cardinales in summum Pontificem elegerint &c.* quid vetat dicere, *Gerardum de Fracheto* Chronicon saltem versus annum suum emortualem 1271. perduxisse, continuasse vero deinceps alios? Sed ut *Quetiso*, quod ait p. 147. contendendi non fuit animus, ita nec mihi est. Illud noto: Chronicon nostrum ab anno memorato M-CCCCLXXV. diversis manibus, et quidem, ut videtur, in *Conventu Ulmensi* productum fuisse usque in annum MCCCCXCVI. nec adferri pene quidquam aliud, quam Capitula Ordinis celebrata, et Moderatorum electiones, inter quos frequens est *M. Johannes Sprenger* autor ille famosi *Maleficarum Mallei*. Indicatur etiam duplex iter in terram sanctam *F. Felicis Fabri* 1480. et 1483. qui nomen suum tribus *F. F. F.* pro-
dere amabat, ut habes in *Schellh. Amoenit. lit. T. III. p. 102.* cu-
jusque *Hodoeporica* supersunt. Ad an. 1491. notatur: *ipsa die Augustini episcopi intravit Ulmam Sereniss. rex romanorum Maximilianus et fuit rumor magnus de gwer-
ris. Item ipsa die Natiuitatis beatiss. virginis marie Serenissimus dominus rex Audiuit officium misse in choro conuentus nostri Quod quidem*

*cantauit in pontificalibus Reverendus in christo pater et dominus Mathias episcopus Seckofiensis. Disus Pfaff Schitt (Scheit, Schait ✠ 1505.) Resonabant autem organa et cantores domini regis omniaque cum splendore permagnifico agebantur. Ultimus chronographus ad an. 1496. sic finit: Preerat tunc communitati Ulmensi Magistri-
que ciuium officio fungebatur prudens prouidus facundissimusque Dominus Johannes Ecbinger Abbat conuentus ulmensis tutor qui adeo fideliter ac eleganter apud dominos de Consolatu negocia conuentus promovit, ut eorum mandato eorum impensis pene totus conuentus renouaretur. Notabilemque pro Capituli subsidio elemosinam largirentur. Quod etiam prelati et monasteria utriusque sexus, Ac communitates viciniore Villanique corde bono et animo volenti liberalissime fecerunt. Reddat illis omnipotens centuplum in presenti et vitam eternam Amen.*

DCLVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. 83¹
Folior. 202. 8. currente calamo scriptus ex integro ad Ordinem Fratrum Minorum pertinet, unde feriem in eo Contentorum indicare suffecerit. Est vero haec. Fol. 1. Formulae quaedam Absolutionis a Peccatis. Fol. 3. Breve Chronicon Ordinis cum nominibus Pro-
vinciarum, et Ministrorum Generalium usque ad tempus Concilii I. Lugdun. Fol. 13. Constitutio *Benedicti XII. P. R. Redemptor noster factor celorum &c. a. 1336.*
Fol.